

coapplicat, quam sume diligit, pro ea certat et una cum ea fetum sollicitate nutriunt, et cum pullificant, cantant suaviter, et postquam a pullificacione cessaverint, cessant et a cantu, donec iterum redeat tempus generacionis eorum.

12. [O]VACIO est tempus, quo femina parit avis ova, et illa avis est mater, que ovo ministrat vitellum, quoniam eo pullus mitritur in ovo, sicut puer sanguine menstruo in ventre materno, ideo rubescit in modum sanguinis. Et illa avis masculus est pater, qui ovo ministrat albumen, quoniam illud verum est semen, sicut in viro sperma. Avis autem altera, que insidet, non est mater, quoniam nil ministrat, nisi caritatem. Ex albumine igitur concipitur avis in ovo et vitello nutritur et post X dies pullus complectur in organa et post XVII aut XX rumpitur testa et exeunt pulli iam vivificati et interdum gemelli, quorum semper primus erit maior, alter vero minor.

13. [N]UMERUS ovacionum est, quo ostenditur, quod columba decies cubat ova in anno et gallina ferme omni die et aves curvorum unguium nisi semel in anno et hirundines bis in anno. Et semper consociantur amore mas et femina preter perdicem, ubi masculus consurgit in masculum et femina in feminam, et tunc talia ova fiunt ova venti, id est fecunda et levia, et nisi ventus eos conciarer australis in germen, nunquam aliquid ex eis produceretur.

14. [P]ROPRIETATES avium sunt proprietates sumptibiles aut ex natura, aut condicione, aut sexu, aut etate [ex natura], quippe quoniam omnes aves sunt purioris substancie et nature quam animalia gradentia, repancia aut natartilia, sunt levioris motus, nobilioris nature, acucioris visus, carnis digestibilioris et sapidoris et sanioris, ciccius tamen erunt in abhominacione homini, si frequentantur, quoniam carnes pecudum.

15. [O]RDO ponendorum de avibus est, quo ostenditur, quod quidam describunt naturas avium secundum ordinem alfabeti, ego autem hoc tibi volo ponere ordine secundum magnitudinem maiorem et minorem. Itaque primo ponetur avis maxima, post minor | | et sic semper consequenter usque in minimam, et sic similiter de volatilibus, ut videatur perfectio rerum creatarum secundum magnitudines earum.

16. [M]EMBRA avium sunt membra hec forcienca. Nomina scilicet: rostrum, ala, struma, penna, ovum, pluma, unguis, crista, cauda, testa, albugo, vitellum, avimbio (?) (supra scr.: *zlowadk*), sed accidencia avium sunt volatus, odos, garritus, nidificacio, preliacio, esculacio (supra scr.: *zobanie*), nidipulacio, penuletum (supra scr.: *holoperz*).

17. [G]RIFO (in mg. add.: *noh*) est avis maxima, quadrupes, corpus habens in similitudinem avium anterioris, sed partem posteriorem et caudam habet leonis in similitudinem. Hec avis est ita magna, quod preliatur cum armatis hominibus et cum unguis arma discerpendo corpus dilacerat. Cuius ungule tam grandes sunt, ut ex eis fiant picaria bibicioni apta.

18. [S]TRUCIO (in mg. add.: *psrrus*) est avis pedes habens camelii, cum unguis bifurcatis, sed os habet magnum et latum in modum clipei et collum curvum, quo tempore necessitatis totum corpus tegit. Que pro suo nutrimento habet ferrum et pre ceteris avibus in volatu est impetuosior et cursu equo velocior. Que dum parit, ad celum oculos levat et ova in terra fodiendo obliviscitur eorum. Cuius ova sunt ita magna, ut ex eis fiant picaria potacioni apta.

19. [F]ENIX (in mg. add.: *ohniaczek*) est avis corpus habens in similitudinem aquile, habens caput coronatum uti pavo, per totum nigra, nisi quod habet circulum aureum in collo et in cauda habet pennas purpureas. Trecenis et quadraginta annis vivens, post quos annos solis ferore comburitur et tunc ex verme illius cineris regeneratur et est semper unica in mundo.

20. [A]QUILA (in mg. add.: *orkice*) est avis plena plumis variis et alis et naso recurvo, omnium avium regina, visu ita acuta, ut aciem solis perfecto intueatur, alciori volatu se cunctis avibus superferrens. Pullos suos quasi degeneres abicit, que solis obtutum cernere nequeunt. Que renovat se post senii depositionem. Et quacumque die aliquis avis videt aquilam, tota die eandem tremescit.

21. [P]ELLICANUS (in mg. add.: *pelikan*) est avis habens canam pellem et rostrum prelio armatissimum, que pullos importunos occidit, sed post planctum triduanum rostro se percutit, quos cum sanguine revivificat. Semper macra, quia quidquid glutit, totum < cito > digerit.